



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De commendatione cellæ. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

tionis tuæ. Scribe vulnera tua in corde meo; & da mihi ex desiderio sustinere impropria & iniurias. vñdecumque illatas, & tibi configurari in vita & in morte. Tu mihi viuere sis, & mori pro te magnum lucrum videatur.

CAPVT XIII.

De meditatione passionis Christi.

1. **M**ulta bona confert passio Christi frequenter cogitata. Et quodcumque aliquid aduersitatis vel grauitatis extra vel intra occurrerit, tunc specialiter est recurrendum ad passionem Christi, & pensandum quanta Dominus sustinuit pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari, quia dat nobis de calice suo bibere; & vult, quòd discamus, in nobis suam passionem perfectè sentire. Modicum confert, poenas Christi cogitare; nisi homo velit, similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare, quanta passi sunt Sancti tormenta pro nomine Christi.

CAPVT XIV.

De virili confidentia in Christo.

1. **I**gitur abiecto timore seruili, induere spiritum feruoris & dilectionis. Accipe fortitudinē, & induere armaturam Dei, vt possis resistere in die malo. Confide fili, & noli timere; quia *tecum sum* dicit Dominus, *vt eruam te*. Confortare & esto robustus, quia plures nobiscum sunt quàm contra nos. Ego (inquit Deut. 31. Iosue 1.) *ante te ibo & pugnabo pro te; eroque tecum, ad quacumque perrexeris*. Pone ergo totam spem tuam in Domino, & noli esse pusillanimis corde, sed constans & virilis ad omnia.

CAPVT XV.

De bono cella.

1. **S**it tibi cella paradifus, chorus cælum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentiū amicus, labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis & quietus, tibi & Deo maximè intentus. In cella aut legens, aut orans, aut operans inueniaris. Ad loca, vbi multi conueniunt & loquuntur, non transeas. Tene te solitarium, & senties bonum. In labore & communi societate, rarò aut parum loquaris. Rarò egredere foras, & si euocatus fueris, citò reuertaris. Vbicumque esse debes, sine mora venias.

2. Humiles & compositos mores habeas, & omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Disce pro Deo pati, in omni necessitate & grauitate. Non sis importunus, sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia & humilitate, omnes vias aduersitates. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & fugiet inimicus.

CAPVT